



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Scribani E Societate Iesv Medicvs Religiosvs De
Animorvm Morbis Et Cvrationibvs**

Scribanus, Carolus

Antverpiæ, 1618

Amico Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46194](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46194)

AMICO LECTORI

MORBOS enarrare: non quales annorum experientia doctus in alijs obseruauit, sed quales viri varijs retrò sc̄culis eruditione ac pietate non postremi multis sparsim voluminibus, pro re nata vulgarunt, qualesque in vario Religiosorum aliorumque hominum genere succescere posse arbitrabantur quae omnia in unum hunc librum, tanquam in unum fasciculum conieci, quod promptius ad manum cum essent mala, essent & remedia: neque tam mala cognoscerentur quae sunt, quam quae temporum procursu, & Religionibus ad deuexam caniciem, tanquam ad capulare quoddam senium properantibus, suboriri possent. In futurorum ergo magis antea ambulam præcautionem, quam in praesentium subsidium hæc scripsi. Sed neque in omnes cadere hæc mala possunt, neque eadem omnibus medicamenta admouenda. quædam hic etiam inter curationes præscripta, quæ cum non ultimarum Religionum institutionibus pugnant; qualia sunt locorum ac Superiorum mutationes. multa deinde

deinde quæ in solidum ignorata, ut sepositi
designatique certi per annum dies solis spiri-
tualibus animorum exercitationibus donan-
di, recollectiones, annuae votorum renouatio-
nes, binæque per diem conscientiarum disqui-
sitiones, particulares etiam vitiorum virtu-
tumue diurnæ discussiones, aliaque generis
huius non pauca. Enarrare tamen ista volui,
ut quibus hæc non ignota, prodeesse possent in
medelam; que imitari etiam possent, quibus
in hanc diem ignorata. Nemo verò morbo-
rum numerum miretur. quantos Hippocrates,
Galenus, alijsq; medicorum, corporum morbos
tradiderunt? quantique super hæc exurgunt
indies, veteribus, omnibus adeò retrò sæculis,
ne nomine quidem cogniti? Non minores ani-
morum sunt. audeo. plures etiam, quo latior in
animo quam in corpore campus, ac patentior
area est. Nam ut nemo meritò reprehendit
medicos, morborum in vario sexu generare re-
mediaq; pertractantes, laudat potius; cùm in
morborum nos cognitionem, fugam, medica-
tionem manu quasi ducant: nec quisquam in-
dignatur scribentibus, tanquam morborum
suorum denuntiatoribus; amat magis, ut pe-

+ 5 ricu-

riculorum monitores. Sic neminem iure offen-
di posse arbitror, si animorum mala non tam
quæ sunt, quam quæ subnasci possunt, reme-
diaque enarrauerim. nullorum hic vulnera
propalare animus fuit: sed in fugam & tute-
lam, quæ succrescere tanquam in fœcundissi-
mo zizaniarum solo, possent mala, designauit,
& antidota venenis addidi. ut indignari ne-
mo possit, conatum potius laudare; & docto
prudentique suo calamo, rudem hunc meum &
imperitum, polire & erudire. quod totis ani-
mis voueo, repositurus in beneficium, quid-
quid à quounque amico calamo subministra-
tum fuerit. summa etiam plerumque capita
verius tetigi, ac malorum superficiem quan-
dam rasi, res per capillum verius trahens,
quam toto corpore pertractans. accendent do-
ctæ manus, quæ publico bono, gaudio meo, fu-
sius hæc certiusque prospectanda dabunt. ad-
dentque è felici ingenio, fortunataque expe-
rientia sua plura in cognitionem & medelam.
quo magis venerabor colamque aeterna bene-
ficium memoria, centupla in cœlis à Deo red-
hibitione remetiendum.

S Y L-